

Vt igitur *Ebraeorum* IVRISCONSULTI cauerent, ne uirum innocen-
 tem criminis cuiusdam capitalis reum iudicarent, summa utebantur pruden-
 tia, attentaque cautione, ut in inquirendis diiudicandisque causis per *examen*
 TESTIVM intermitterent nihil. Et hac ex ratione euenit, ut Iudaeorum
 iudices praeter illud, quod de *examine* cum TESTIBVS TECTO NO-
 MINE et TOTO quidem DIE instituendo e *codice* SANHEDRIN ad-
 duximus, in munere suo rite fungendo tribus aliis modis et rationibus
 prudentissime usi fuerint. Alter enim canon, quem hac in actione ob-
 seruare solebant, erat: *unius cuiusque criminis, capitalis maxime, TESTES*
in foro non CONIUNCTIM sed SIGILLATIM SEPARATIMQUE sunt
examinandi. Et hoc institutum non sine ratione, communi consensu, a
 Iudaeis assumptum est, quia in iudiciis suis peragendis sic se gerendo ue-
 ritatem, nec non ea, quae illi incongrua esse uidebantur, optime erui
 posse crederent. Nam si unus horum TESTIVM in praesentia reliquo-
 rum de hoc uel illo facto examinaretur, facillimum erat, ut caeteri non
 amore erga ueritatem, sed timore, ne ab hoc sibi alio loco magnum infe-
 ratur damnum adducti, *testimonio* illius consentirent, et hoc modo fae-
 pissime iniustissima causa talis uideri haud posset. Daniel ille Apocry-
 phicus hac in re nobis praebet exemplum egregium, qui institutorum
 legumque maiorum suorum non expers ciuibus suis indignatus est, quum
 audiret, quod hi uiri, qui alias sapientiae auorum suorum peritissimi erant,
 Sufannam, filiam Hilkliae, et uxorem Ioiakimi, propter simplicem dela-
 tionem duorum TESTIVM, omisso *examine*, criminis adulterii ream ac-
 cusauissent, et illam ob hoc peccatum, ad supplicium, isti delicto desti-
 natum, iamiam raperent. Innocentiam uero illius mulieris non melius
 demonstrare ueritatemque facti eruere putabat Daniel, quam si unum-
 quem-